




27.









2
2

LECTORI BENEVOLO
FACULTATIS MEDICÆ

In
ACADEMIA LIPSIENSI

p. t.

PROCANCELLARIUS

D. JOHANNES BOHN,

Therap. Prof. Pub.

S. & O.





J. N. J.



Edico juniore seu Practico tyroni præfentes dum lito chartulas, harum argumentum non ineptum futurum confido, si de Arcanis seu Singularibus Medicis quædam in Hujus & Lectoris gratiam edisseruero, meamque de genio & autoritate horum exposuero sententiam. Non quod cuivis Medicaastro, Arcana crepanti subscribam & quasvis gesticulatorum nugas admirer commendemve: (alienum siquidem quemadmodum à Secretorum jactatione me norunt, qui me norunt, ita nec ab aliorum Singularibus mihi facile imponi, patior.) Sed quo nihilominus in quantum eorum immunitas valeat, illis innotescat, qui advertente *Hippocrate de arte t. I, Verborum inhonestorum arte ad ea, quæ ab aliis inventa sunt, confundenda prompti sunt, nihil quidem corrigendo, eorum vero, qui aliquid sciunt, inventa apud ignavos calumniando; i. e. quibus non secundum rectam rationem, sed secundum malevolum suum ingenium, alios judicare solenne est.* His quippe imperitiis vel nomen Singularis, Secreti &c. eousque exosum est, ut hujus fidem; mox proterve in dubium vocent, nisi callidæ eorum libidini auscultare malint ejus possessores, ut aliorum examini sua submittant arcana; uno verbo hæc propalando indole sua privent, seu arcana sua non arcana reddant: cum tamen, monente *Galeno* seu quocunque demum **Li-
bri**

bri *Secretorum*, huic attributi, Scriptore, Secreta ejus-
modi *unicuiq; hominum propalare, non sit necesse.*
Eqvidem me haud fugit, forsan in Diætæ circa ægros
moderatione, item operationum Chirurgicarum
administratione, cautelas atq; enchirises, ab ordi-
naria seu communi agendi ratione quam diversas,
hinc uni alterive Medicorum ac Chirurgorum pecu-
liares, Singularium nomen pariter demereri, v. g.
dum variolosis, morbillosis similibusqve efflorescen-
tiis cutaneis laborantibus atmosphæram fervidio-
rem & à stragulis seu integumentis oppresionem
dissuadet, aëremqve liberiores & temperatorem
commendat, *Sydenham*, Lithotomiam, Artuum
detruncationem &c. peculiaribus instrumentis & mo-
do singulari administrant peritiores Operatorum.
De qualibus tamen, quia, quantum ego quidem
memini, à nemine hætenus disceptatum fuit, nec
peculia ejusmodi ullus unquam suis inventoribus fa-
cile invidit, instrumentorum Pharmaceuticorum po-
tius Singularitatem in præsentiarum declarare ac pro-
pugnare annitar: contra illos potissimum, qui Singu-
laria ejusmodi Medico cum Pharmacopola commu-
nia & soli huic ut suam concedat ille tamam atque
conscientiam cum ægrorum sibi concredita salute,
volunt. Atqve hæc, quam meditor, Arcanorum seu
Singularium vindicatio quo penes prudentiores &
æqviores judices plus assensus reperiat, termino ho-
rum complector medicamina, quæ in affectibus cor-
poris præter naturalibus tollendis vim singularem
præstant, soli administranti, aut paucis, innotescen-
tem: ut Arcani nomine veniat, non, quod aut cujus
virtus, omnino in occulto est, tali enim nullus un-
quam sanaretur æger, sed quod plerosq; saltem latet
):(2 seu

seu cujus efficacia plurimos fugit, i. e. uni seu alteri tantum singulare observatur remedium. Qvalis quidem singularitas minime tantum, ut falso supponitur, vim morbum exturbandi singularem respicit, sed applicationem seu utendi modum & agendi rationem quoque. Scilicet dum per peritiam singularem primo medicamento vulgari, ratione molis, odoris, saporis venafabundo, aliud substituitur magis gratum & amicum, illud concentratur, corrigitur, obvelatur, hinc palato suavius redditur: cujus sane generis deliniendi, incrustandi, nedum decipiendi, modi vel soli multum fidei atque autoritatis Medico conciliant; & fructum atque existimationem singularem singularis peritiæ non minus meretur, qui *juvunde*, quam, qui *cito ac tuto*, suis medetur. Si imprimis secundo ejusmodi medicamina sine notabili molestia, qualem ab evacuantium potissimum activitate experiuntur ægri, agant, sine torminibus, sine hypercatharæos metu; sine virium prostratione &c. adeoque etiam hac ratione jucundam medelam præstent: quorum selectus seu attemperatio admodum salutaris ac proficua deprehenditur in ejusmodi casibus, ubi affectus primarius aut combinatus à torminibus v. g. atrocior redditur, aut hypercatharæsis in præceptis vitæ periculum conjicit, v. g. in colica, iliaca passione, febribus acutis, item in gravidis &c. sc. dum Mercurius dulcis, Helleborus niger, Aloë lota & resinosa sua substantia exuta, ac Aurum fulminans commodius & blandius præ Colocynthide alvum subducunt. Adeo, ut, cui per industriam aut bonam fortunam discernere, præparare ac corrigere datur pharmaca, quæ communiter sine discrimine propinantur, non sine insigni infirmorum conturbatione, gloriari ad invidiam usque queat de Secretis. Sicut tertio,

tertio, dum remediis quibusdam præ trivialibus peculiaris assignatur efficacia, ab his minime postulandum, ut rationem agendi sibi omnimode propriam ac nullis aliis Medicamentis communem, habeant, i. e. non per modum catharicos, sudoris, sub specie cephalici, stomachici, anodynii &c. vim suam exerant, à sexcentis Medicorum millibus observatorum & approbatorum; quo non neminem Singularium insectatorem acerrimum olim inclinasse recordamur. Sed prærogativam Singularem sibi quoque vendicant, quæ digerendo, incidendo, resolvendo, laxando, condensando, temperando, absorbendo, evacuando per alvum, gulam, vias urinarias &c. tussim, dolores, vigilias, hæmorrhagias &c. mitigando ac sistendo, operantur. Nec necessarium est, talia occulta tantum quadam qualitate morbis mederi, hosque per quoddam quasi *ἰό. ἰείον* depellere: modo virtutem hanc medicamentosam præstent promptius seu efficacius, tutius & sine notabili molestia. Quatenus usualium quoque unum altero, quoad circumstantias has, præpollere, partim ex illis, quæ circa catharticos disparitatem modo innui, partim exin evidens fiet, quod Taraxacum v.g. & absinthium in febribus intermittentibus discutendis, sine dubio superat Cortex Peruvianus, in specie in quartana, quam ante hujus exotici innotescentiam recte Medicorum scandalum dicebant; Mercurius dulcis cum Antimoniali quodam temperatus efficaciter & sine torminibus purgat, in hæmorrhagiis etiam desperatis compescendis Bolum Armeniam, Vitriolum, Alumen similiaque potentiora longe antecellit Spiritus Vini rectificatissimus, cum Oleo Terebinthinæ æthereo, paradoxa forsitan in ejusmodi casu dogmatico vulgari visa remedia, quod toti ignei, pene-

penetrantes maxime, & omnis condensatoriæ seu stypticæ virtutis expertes liqvores compareant. Multo minus Arcani nomen Medicamentis illis tantum discernendum, quæ morbos insanabiles, seu cæteris remediis superiores, sanant: modo sanabilibus promptiorem præstent medelam, in casibus plus minus difficilioribus, v. g. Cortex Ganaperidis febribus intermittentibus, Lapis Lyncis inter absorbentia antifebrilia præ Coralliis, Ebore &c. appropriatus magis; adeoque, si non virtute, gradu tamen virtutis, reliqua antecellant, seu peculiare quid præ his possideant, quod, in quantum plures alios fugit, uni alterive singulare dici poterit, ac debet. Adeo quidem, ut *Primerosius*, irrisor alias Secretorum Medicorum strenuus i. de vulg. error. cap. 12. nec illum, qui vulgare remedium, omnibus cognitum, tanquam sibi proprium vendicat, mendacii argui posse, tradat. Cujus etiam generis sunt, quæ in variis affectibus suis se commendant dotibus, polychresta ideo dicta, v. g. Angelica, quæ ratione texturæ suæ singularis seu virtutis aromaticæ spiritus non tantum mirum in modum recreat, hinc pesti quoque medetur, sed viscidos humores incidendo asthmaticis, tusfientibus, colicis, febricitantibus, hysteriis &c. quoque prospicit. Item Rosmarinum, quod *Panarolus pentec.* 3. obs. 25 in mensibus suppressis ac depravatis, viscerum obstructionibus, capitis imbecillitate, catarrhis, ventriculi dolore & cruditatibus, uno verbo, in multis morbis inveteratis & tantum non desperatis, comendat. Præcellentiam autem hanc cujuscunque generis concreta medicamentosa sibi vendicant præprimis modo per texturam suam naturalem, modo à Pharmacia adscititiam seu artificialem. Prioris generis Arcana non illa tantum ajo, de

de quibus eorumve materia & viribus hætenus altum
penes plerosque silentium, v. g. ante sexaginta circi-
ter annos Corticem Peruvianum febrifugum, nunc
notissimum: Herbam Paragræy, à Provincia Indiæ
Occidentalis ipsi natali appellatam, emeticum effica-
cissimum, sine stomachi tamen notabili everfione, in
Officinas nostras & usum nondum receptum: Corti-
cem Eleuterium, pro Cortice Peruviano imperitiori-
bus venditatum, à *Stiffero* autem laborat. *Chym. Spe-*
cim. 2. cap. 9. contra Arthritidem, Calculum Scorbu-
tum &c. maximopere deprædicatum: Radicem Chin-
Sen, Gensing seu Nisi, tanquam singulare Aphrodi-
siacum annotantibus *Actor. Hafn. vol. 5. p. 26. Miscel-*
lan. Nat. Curios. Decur 2. ann. 4. obs. 2. Ann. 5. obs. 39.
& *Ann. 8. obs. 189:* Radicem Ipecacuanham & Herbam
Cua-Apiam, Specifica antidyfenterica, à *Gvilhelm*
Pisone hist. Natur. & Medicin. Brasil. olim descripta
quemadmodum de priore pariter differit *Pomet des*
Drogues & Leibnüzius in pecul. libello: Lapidem
Manati anti-nephriticum, olim quoque ignotum.
Quibus hodie addere liceret v. g. Fabam illam; S. "
Ignatii dictam, à Portugallis primum ex India Orien-
tali in Europam, nunc in Belgiam, translata, ac
contra venena, Epilepsiam, Dyftociam &c. mirè
commendatam, Nostratibus adhuc minus perspe-
ctam, cujus unum alterumve exemplare nuperrime
videre mihi contigit. Qvalia si in manus Medici in-
geniosioris & industrii inciderint, quemadmodum
prolixius referente *Domino Leibnüzio* l. a. radix Ipe-
cacuanha in Medici cujusdam Parisiensis insignis,
nonne hunc singulare antidyfentericum alexiphar-
macum &c. possidere dicendum? perinde ac Parisiensi
huic jussu Regio non tantum conspicua pecuniæ
summa pro invento hoc solvebatur, sed privilegium
qvo-

quoque, ut solus certo pretio distribueret Medicamen-
hoc antidyfentericum successibus multis comproba-
tum, indulgebatur. At Singularium quoque no-
men merebuntur ejusmodi naturalia exotica, de quo-
rum virtute si non omnino eadem, pari nihilominus,
olim scriptum legimus, negliguntur interim eadem
in communi praxi: Dum v. g. dictam radicem Ame-
ricanam antidyfentericam ejusque vires *Piso* haud
ignoravit, & satis graphice descripsit, quæ tamen
in oblivionem penes plerosque venerunt; cum etiam
medicamentis sua, pro captu hominum videantur
obtingere fata, ut, monente *Celeberrimo Leibnizio*,
hinc sæpe non minus restauratori atque propalatori,
quam inventori primo, debeamus. Quibus accen-
sere aliquando fas est nostratia quoque & patria, v. g.
femen *Sophiæ Chirurgorum*, alias *Abinthii Seriphii*
s. *Germanorum*, decantatum æque contra lumbrici-
cos, ac ulcera putrida, vulnerarium quoque inter-
num ac externum insignis; quod solus forsan *Forestus*
22. *obs.* 37. *in schol.* contra dysenteriam laudari per-
hibet, pauci alii Practicorum eum egregio suc-
cessu in hoc affectu, sicut in calculo quoque, propi-
nant. Nec in arcani possessione turbandi, qui in con-
cretis naturalibus, quin etiam artificialibus, in vulgus
equidem vel in se, vel ratione aliarum quarundam vir-
tutum, notoriis seu officinalibus, peculiarem adver-
tunt efficaciam, & hujus intuitu illa suis Clinicis com-
mendant. Strobilos Pini seu Abietis rubræ teneriores
inter officinalia referunt, ac nonnullas eorum virtu-
tes recensent Botanici & *Materiæ Medicæ* Scriptores
plerique: vim autem eorum antiscorbuticam pauci
annotarunt. Anagallidis, famosi pariter officinalis
vires hinc inde legimus & experimur: si non solus,
certè primus, quantum ex eo paratus fodus in ulce-
rum

rum malignarum acrimonia & dolore temperando præstet, commemorat *Poterius* 1. obs. 1. & 7. Decocti Calcis vivæ usus internus, in pulmonum aliorumque viscerum ulceribus, sane, quamdiu *Fr. Sylvio* & *I. Frid. Losio* solis perspectus erat, arcani nomine his venire poterat: utut Calcem vivam nossent ac tractarent murarii similesque opifices, ac decocti ejus vim in scabie, ulceribus similibusque affectibus externis teneret Balneator ac Tonfor quivis. Antimonii, Antiquitati & Nostratibus mineralis famosi, potentiam emeticam ac diaphoreticam qui primus annotabat, nonne secretum jactitare jure poterat? quemadmodum & ille, qui nec crudum illud venenosum, sed optimum sanguinis correctorium, novit. Pariter mineram illam Argenti, Cinabari similem *Woth = Guld = Erzt* metallorum fossoribus maxime perspectam, qui contra insultus epilepticos propinat, quamdiu paucis tantum remedium hoc innotescit, Singulare exhibere, sine omnidubio dicetur: quemadmodum qui in eodem affectu semine Hyocyami utitur, cujus vis narcotica in dolore dentium v. g. it sanguinis sputum cohibens, neminem fugit, fugit nihilominus plerosque hæc ejus virtus antepileptica. Porro Aurum fulminans, medicamentum aliàs Officinis ac Medicis triviale, profecto Singulare sibi dicere poterit, qui solus aut cum paucis ejus virtutem peculiarem in hæmorrhoidibus exulceratis, extrinsecus admoti, novit. Nec video, quid impediatur, quin v. g. Lapis scissilis, Pumicis &c. Operariis non minus ac Medicis in frequenti usu, si cum successu contra febres v. g. intermittentes propinentur, primo Observatori, ut Singularia, indulgeri queant: imò in infinitum forsitan excurrerem, si plura hujus generis recensere, pagellarum angustia permitteret. Sufficit hinc, rationi minus repugnare, multorum, sensibus etiam maxime obviatorum & aliàs usualium, hanc illamve adhuc in abstruso latitare energiam medicamentosam, qualem forsitan alicui albæ gallinæ filio vel casum, vel industriam, suo tempore manifestaturam et manifestare, tot euporista quotidiana testantur. Recipio E. potius me ad singularitatem medicamentosam, quam ars naturalibus conciliat, & quidem duplicis forsitan generis præparatione: sc. vel mera & simplici diversorum compositione seu miscela, vel artificiosa & chymica magis operatione, quæ non minus secretoria, ac commixtoria deprehenditur. Quosdam equidem invenies, qui solam præparationis singularitatem ac diversitatem nulla singularia consti uere ideo, negant:

):():(

quod

quod facilius sit, inventa corrigere, quam nova invenire, cum præparationis correctio omnibus in universum Medicis communis esse soleat, qui juxta illud, *quot capita, tot sensus*, officinalibus modo aliquid addant, modo demant &c. In specie vero meris compositis ex ordinaria simplicium materia Secretorum immunitatem atque prærogativam denegat *Primerosius de vulgi errorib. l. 1. c. 12.* quasi quivis doctus ac peritus Medicus similia ad libitum & ex re præsentis componere queat. Ast, quemadmodum aliquando simplicibus per compositionem incongruam conspicuam satis labem imprimi, infinita testantur, v. g. in Mercurii sublimati confectione seu Mercurii currentis & Salium, neutrorum venenosorum, coagulatione, corpori nostro quam exitiosissima; item Petroselinum, quod per se tutum atque efficax observatur ophthalmicum, aliis associatum dolorem ac inflammationem oculorum intendit: Sic compositionem diversorum non raro medendis morbis necessariam atque proficuum quotidie experimur, v. g. si idem Mercurius corrosivus per novum Mercurii vivi additamentum edulcoretur, si per admixtionem Mercurii hujus dulcis Mercurius vitæ emeticus valde blandum reddatur per inferiora purgans &c. Adeoq; quamvis Primerosio aliisque in hoc lubens subscribam, ut non quamvis simplicium compilationem & congestam farraginem admirer; quin tamen quasdam compositiones profundioris peritiæ & singularis efficacitæ, quamdiu in paucorum manibus sunt, singularium titulo digna credam, persuaderi non possum, Miscellam v. g. purgantium cum opiatis in affectibus primarum viarum dolorosis aut cum evacuationibus præternaturalibus combinatis, v. g. dum à *Riverio* talis in vomitu, à *Foresto* in cardialgia, à *Rondeletio*, *Riverio* & *Deodato* in Colica, præscribitur; prout Practici pariter cujusdam Amstelodamensis Spectatissimi recordor, qui idem cum euphoria suorum præstabat, imo vespera catharsin præcedanea sola opiata propinabat, quo contra irritationes spasmodicas, v. g. in hypochondriacis, ventriculū ac intestina præmuniret. Qualem encherisin si ita moderetur Medicus, ut non omnibus innotescat, certo sicut ægris salutaris, ita illi proficua, erit, ac famam singularē conciliabit. Et ne in multarum ejusmodi compositionum, hætenus singularibus adscriptorum, enumeratione justo prolixior evadam, Pilularū Francofurtensium, Glasianarum, &c. Liquoris Cornu Cervi succinati præparationes olim, ut secreta, laudem merebantur hisque inhiabant magno conatu Practicorum solertiorum quilibet: cur non similes compositiones admi-

admiremur præ aliis? Quatenus inventa emendare simplicibus ac compositis aliquid addere, demere & congruè sibi adaptare quoq; artis opus est, & Medico opinionem conciliat: centum autem simplicium insulsa confusio irrisione digna est. Imo huc referre licebit simplicium quoque tempestivam ac congruam collectionem seu selectum: secundum cujus solius circumstantiæ observationem ac neglectum virtutes medicamentosas variare infinitis exemplis comprobare possem, unicum loco plurimum sit. Betulae succum vernum, promiscue contra renum & vesicæ calculum it. Hydropem, commendant practici, aut non pari successu eum hauriunt ægri: singulare vero per succum hunc iis præstabit auxilium, qui, monente *Helmontio catarrhi deliram.* & *Boyle de util. phil. experim. part. 2. p. 102.* non ex caudice prope terram seu trunco (ut vulgo jubent) sed ex ramis potius, arboris dissectis, liquorem hunc colligit, acidulum & singularis efficaciam in dictis affectibus, dum qui ex trunco destillat, insipidus & minus efficax deprehenditur. De artificiosis magis præparationibus & harum productis minus est dubium: vel quatenus encheirisis ipsa latet, vel quantum ejus latitat virtus medicamentosa: quale utrumque illis Arcani famam, possessori suo decus & jus singulare præstat, v. g. *Beato Silvio* Salia volatilia oleosa, Essentia ad Partum, Tinctura bezoardica & c. *D. Micchaëli*, similiaq; infinita suis Artistis cum Secretorum aut singularium privilegio, de jure relinquenda. Præpostere vero agunt, qui eadem nugæ, remedia empirica ajunt eorumq; Inventores arrogantiam arguunt: nec apparet, quæ lege, quæve observantia adigi eo possit Practicus, ut quæ multo rerum usu circa correctionem & præparationem, etiam officinalium ac trivialium, v. g. si opii Tincturam cum peculiari menstruo extractam & tutioris operationis, addiderit ac administret, aliis manifestet ac propalet, ut religiose satis ajunt, in ægrotantis & Publici salutem; cum Chirurgis quoque, Opilionibus, Mulomedicis & quibusvis agyrtis ac circumforaneis sua, quæ non, nisi temerarie satis, crepant ut plurimum, relinquuntur evporista neque Medici magis, ac hi, aut conscientiam, aut officii, ratione ad illa deroganda teneantur, nisi peritos præimperitis, ut suo suorumque salutem ac commodis renunciarent, obligari, quis injuste, si non inepte, velit. Sed nolo Arcanorum ventilatione prolixiore derogare desiderio scrutatoris Arcanorum Naturæ & Artis seduli, hoc est, morari honores singulares, quibus per singularem industriam se dignum reddidit. *Nobilissimus atque Clarissimus*

Di.

Dn. Abraham Hoffmann / Lauba-
Lufatus, Medic. Baccalaureus,

Quem in Schola Patria ad Superiorem egregie præparatum no-
stra Academia ante quadriennium excepit & eousq; hæcenus fo-
vit, ut ex Professorum atqve Doctorum hujus ore atqve institutio-
ne, publica non minus ac privata, fundamenta artis hujusqve pe-
ritiam quam felicissime hauserit, & hujus suæ Doctrinæ edecuma-
tæ specimina diversa, imprimis per Examina bina & Prælectio-
nem cursoriam, Collegio Nostro exhibuerit. Quibus peractis his
diebus Censuræ Ejusdem privatæ subjecit Dissertationem, de
Cholera conscriptam, ut post eam quoque experiretur publicam &
conatum suorum perquam honestorum, capeffendi *Licentiam*,
ad Gradum Doctoris in Medicina, suo tempore ascendendi, pub-
licum Eruditorum ac Bonorum omnium applausum. Cujus am-
bitioni modestæ eo, quo decet, affectu annuere æquum duximus,
hincqve *crastinum diem* Disputationi ejus Inaugurali pariter ac
Panegyri solenniori, Gradum, quem anhelat, secundum morem
penes nos receptum conferendi, destinavimus, & quidem me in-
terprete, cui ad devotam ac submissam Facultatis Gratiouissima
nominationem ac commendationem à *Celsissimo ac Potentissimo*
Domino DOMINO FRIDERICO AUGUSTO, Rege Polonia,
Magno Duce Lithuania, Russia, Prussia &c. Duce Saxonie, Julia,
Clivia, Montium, Angria & Westphalia, S. Rom. Imperii Archi-
Marschallo atque Electore, Domino ac Nutritio Nostro Clementis-
simo, Nomine Celsissimi Principis ac Domini DOMINI MAU-
RITII WILHELMI, Ducis Saxonie, Julia, Clivia, Montium,
Angria & Westphalia &c. Administratoris Episcopatus Martisbur-
gensis & Academiae hujus Cancellarii perpetui, Domini ac Nutritii
Nostri itidem Clementissimi, munus Procancellarii pro tempore
clementissime demendatum fuit. Cujus Delegationis Illustrio-
ris memor, *Magnificum Academiae Rectorem, Comites illustri-*
simos, utriusque Reipublicæ Proceres, nostratis Cives & omnes,
qui Ordini Nostro ac Studiis Nobilissimi Domini Candidati be-
ne cupiunt, ea, qua decet, observantia atqve affectu rogo, velint
splendidam ac honorificam suam præsentiam Actui huic commo-
dare, ac Nostro de exantlatis laboribus & conferendis honoribus
affectu annuente gratulari. Redhostimenti loco Facultatis Gra-
tiosissima, mea & Clarissimi Candidati studia, Officia, Obser-
vantiam ac quævis gratitudinis fida atque certa signa
polliceor. P. P. Lipsiæ d. 7. Julii 1698.


01 A 6605


ULB Halle 3
003 092 054



V3 17







Farbkarte #13

B.I.G.

BENEVOLO
TIS MEDICÆ
In
LIA LIPSIENSI
p. t.
CELLARIUS
NNES BOHN,
o. Prof. Pub,
& O.

2
2

